

CAPVT IV.

DE RELIGIONE CHRISTIANA RENASCENTE.

§. I.

Non diu tamen haec ecclesiae facies durabat; statim enim cum morte promotoris paganismi LEVENTHAE an. 1048. renasci coepit. Eodem enim extincto, ANDREAS frater, christiano cultui ex animo addictus, ubi se firmum tenere imperium videret, solusque imperaret, hostibus christianis intrepidus se obiiciebat, et sententiam quam pagani Vngaris, spe potiundi regni ante indulserat, abrogauit penitus. E contrario vero in fauorem religionis Christianae edictum per regnum promulgauit vniuersum, ac partim praemiis, partim poenis constitutis, id, diuina gratia auxiliante effecit, vt vniuersus fere populus ad rectum Dei cultum reduceretur.*

CAPVT V.

DE RELIGIONE CHRISTIANA, SUPERSTITIONIBVS OBSCVRORVM SECVLORVM CONTAMINATA, SEV DEFORMATA.

§. I.

Atque ex hoc tempore, firmas in Vngaria radices Christiana egit religio: Sollicitabant quidem nonnulli posthaec BELAM. I. eam vt denuo excinderet, sed rex conducto exercitu nefarios illos fortiter dissipauit, verumque Dei cultum grauibus edictis, stabilivit. Eius vestigia successores fideliter sunt secuti, remque christianam, variis decretis in regno prorsus confirmarunt.** Hic tamen

* Recitat aliqua BONFIN. Dec. II. l. II. INCHOF. ad an. 1048. et THUROCZ. l. c. P. II. c. 42. ALOLD de PEKLARN ad an. 1047. et 1048. et 1049.

** Vid. THUROCZ. l. c. c. 46. BONFIN. Dec. II. l. III. RANZAN. indice X.